Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1931

Quelle:
Copyright:

Praeceptum posuit, quod preterire mihi non licuit, Venerabilis — dominus Rector &c. 37) *Responsio ad ambasiatorum vniuersitatis parysien. propositionem 1429. feria 2. post festum pasche.* Quatuor Doctores *Parisinos* missos fuisse, narrat *Conspectus Hist. Univ.* ad h. a. Codex et illorum Propositionem, et *Haselbachii* Responsum hic exhibet, quibus mutua ad Concilium invitatio, et promissum pro Ecclesia sedulo laborandi continetur. Initium Parisinorum: *Verbum mihi ad vos est o viri clarissimi* &c. Viennensium: *Quia verbum bonum — auditum est in terra nostra* &c. 38) *Collatio ad Dominum Card. tituli Sancti Cyriaci wlgo Olomucen.* 1429. Fuit is *Johannes de Praga* vir insignis, quem Noster Universitatis nomine ad restaurandas Ecclesiae res hortatur, praecipue *per Hussitarum*, quorum Acta deplorat, oppressionem; ingressus a vitiosa Praesulum et Doctorum conniventia. Ita: *In nonnullorum fidelium mentibus fortassis potuit surgere scrupulus* &c. Themate utitur illo *Job.* 21. e *presentis diei* (Fer. IV. post Pascha) *lectione* depromto: *Mitte in dextram nauigii rete, et inuenietis*, quod inter alia ita adplicat: *inuenietis inquam pisces viros duarum vniuersitatum preclarissimos matris et filie Paryssiensis videlicet et Wyennensis* &c. 39) Relatio brevis Actorum cum *Hussitis Posonii* inscripta: *Desiderium Hussitarum feria 6ta ante Quasimodo* (Dom. in Albis) 1429. Aderant, ut adparet, *Sigismundus* Imp. *Wilhelmus* Dux *Bavariae*, Doctores *Vien.* nominatim *Nicolaus de Dünkelspühl*, *Procopius* Capitaneus, et tractabatur de admittendo Articulo a *Sigismundo* oblato: *Quidquid ex sacra scriptura aut sententia doctorum in proximo Concilio celebrando conclusum et determinatum extiterit, id acceptare;* tergiversantibus *Hussitis.* 40) *Puncta proposita per Ambasiatores vniuersitatis* (Parisinae) *coram Domino Duce* (Alberto) *per M. Robertum piri de Normannia.* Extracta ex Epistola ἐγκυκλικως missa, quales habentur apud *Caes. Bul. Egassium* in *Hist. Univ. Paris.* de malis Ecclesiae, de maturando Concilio oecumenico &c. Rogatur tamen peculiariter *Albertus* ad *Hussitas* reducendos opem conferre. 41) Deductiones duorum Articulorum a *Bohemis* propositorum de puniendis Peccatis publicis, et duplici Specie Eucharistica e majore, ut videtur, Scripto excerptae. 42) a *fol.* 315. rursus Orationes VIII. in Promotionibus Academicis ab *Haselbachio* dictae, videlicet: *Jacobi de Stubach* Ord. Praed. 1454. *Ludovici Sleyber de Vlma* 1456. *Joh. Sachs de Nurnberga*, quem ne notum illum Phonascum putes, 1436. *Steph. de Egenburga* anno extrito. *Frid. de Eschenbach* 1449. *Leonh.* (Huntpichler) *de Valle Brixensi* Ord. Praed. 1449. *Andreae de Weytra* 1443. ubi additum: *quinta Junij qua hora XI. precessit terremotus.* Demum *Cristiani de Hurben.* 1443. quorum Virorum quidam Academiam deinceps